

aliam ideam significandam adhibita; symbolum autem est res in mundo vere existens, imo sensibilis, ideam vel rem aliam repraesentans.

2. — *Signum* est res nota, ex qua alia res cognoscitur propter utriusque rei — signi et significati — conjunctionem.

Est autem *signum*

a) *manifestans et repraesentans* (*seu suppositum*). Prius tantum prodit alterius rei praesentiam; e. g. fumus ignem, respiratio vitam, gemitus dolorem, laurus et arcus triumphalis victoriam, festum aliquem eventum indicat. Signum autem repraesentans in locum rei significatae substituitur, cuius quasi vice fungitur. Ita corona, sceptra, gladius potestatem regiam repraesentant, papyrus pro nummo accipitur, claves victori loco urbis traduntur, calix ordinantis in signum potestatis sacerdotalis traditur. Eadem tamen signa simul et manifestantia, et repraesentantia esse possunt. Symbolum proprie dictum semper est signum aliquid repraesentans.

b) Signum est aut *imitatorium*, aut *analogum*, aut *causale*. Imitatorium est imago sensibilis rei significatae ad verum expressa, e. g. pictura, statua. Signum analogum est res sensibilis unam vel plures notas logicas entis intelligibilis ostendens, quae conjectura mentis ex illa colliguntur, sicut doctrina ex exemplis, specie sensibili a se diversis. Symbola analogica sunt lumen (innocentiae), agnus (patientiae), statua mulieris cum libra et gladio (justitiae). Signum causale est, quod relatione mere abstracta causae vel effectus significato conjungitur; tale signum est vox idea, fumus ignis, respiratio vitae. Symbolum sensu stricto non est signum imitorium, nec mere causale, sed analogum, certe plus minus abstractum.

c) Signum est *naturale* et *arbitrarium* (*seu artificiosum*), prout connexio signi et significati in rerum natura est sita, aut entis rationalis consilio et voluntate, e. g. hominum consuetudine effecta. Ita fumus est signum naturale ignis, fervor instantis tempestatis, facies rubicunda sanitatis, pallor timoris, gemitus doloris; et rursum laurus est signum arbitrarium victoriae, lumen innocentiae, agnus patientiae, noctua scientiae, statera justitiae, diadema dignitatis regiae, cereus paschalis Christi, lotio corporis expiationis peccatorum. Signum naturale natura duce intelligi potest, ideo nonnunquam etiam a bestiis intelligitur; signum arbitrarium, nisi mera sit naturae imitatio vel idea associata, nonnisi ex positiva institutione, ergo ab ente rationali intelligitur. Ens rationale potest signum naturale vel unum ex multis signis naturalibus etiam signum arbitrarium facere vel pro eo accipere. Symbolum stricte dictum semper est signum arbitrarium.

3. — Praeterea et *signum* et *symbolum* dividuntur

a) ratione rei significantis in *personale*, *reale* et *activum*, prout persona, res vel actio seu eventus ad aliud significantum adhibetur. Symbolum personale est e. g. rex nationis, episcopus pedes pauperum lavans Christi; symbola realia sunt sceptra, corona, gladius, crux, nomina symbolica; symbola activa sunt ritus e. g. ipsa lotio pedum.

b) Ratione rei significatae sicut signum ita etiam symbolum est: *doctrinale* seu didacticum (dogmaticum et morale), *memoriale* (historicum), *demonstrativum* (historicum) et *prognosticum* (propeticum et anagogicum), prout res invisibilis, quae significatur, est doctrina (fidei ac morum) abstracta, res praeterita, tempore praesens (loco absens vel interna) aut futura. Symbola doctrinalia sunt: flexio genuum, circumcisio, baptismus, sacrificia; memorialia sunt ritus quidam historici, e. g. esus agni paschalis, deinde crux etc.; demonstrativa fumus, respiratio, ritus, sacrificia; prognostica visio symbolica futurorum et actio symbolica prophetica. Symbolum prognosticum plerumque est opus Dei supernaturale. Symbolum internos animi sensus ac motus significans vocari potest etiam psychologicum.

c) Ratione manifestationis sensus symbolum est *apertum* et *clausum*, prout sensus ejus expresse indicatur, aut nonnisi e contextu (absurditate sensus verbalis), circumstantiis (inconvenientia sensus verbalis), consuetudine vel ex analogia manifesta conjicitur. Explicatio symboli vocatur ejus solutio.

§ 84.

Propria Bibliorum symbola.

In Bibliis praeter symbola communia humana tres peculiares symboli species inveniuntur: *symbola ritualia*, *visiones symbolicae* et *actiones symbolicae propheticæ*.

1. — *Symbolum rituale* est persona, res vel actio ad cultum divinum pertinens, eventus religiosos praeteritos, doctrinas fidei ac morum, vel pios animi affectus symbolice repraesentans. Ejusmodi symbola multa in quavis religione reperiuntur, sed plurima erant apud Hebraeos.

Symbola ritualia sunt: impositio manuum, genuflexio, manuum ac pedum lotio, circumcisio, sacrificia, victimae, festa, caeremoniae, rex Israelitarum (symbolum regis Jehovah), matrimonium (symbolum unio-

nis Christi et ecclesiae) etc. Symbola ritualia sunt triplicis generis: *historica, dogmatica et moralia.*

2. — *Visio symbolica* est vera imago intellectualis revelata, doctrinam, rem vel eventum modo naturali non cognoscibilem symbolice repraesentans. Imago quae mente cernitur, non est res in mundo externo exsistens, sed mera et vera species sensibilis in anima videntis supernaturaliter excitata. Imago haec non est imitatio rei significatae ad similitudinem veri sensibilem effecta, sed tantum signum analogum, quod in aliqua nota cum re significata convenit, et ex quo significatio ratione colligitur. Imago tamen vere et sine voluntate animo conspicitur, non autem cogitatione propria et sponte vatis fingitur, nec tantum videri creditur. Visio symbolica (sicut quaevis alia visio) revelari potest in somno, vigilia vel extasi. Visio symbolica est aut *didactica*, aut *historica*, aut *prophetica*, prout veritatem fidei vel morum, rem praeteritam occultam, aut rem futuram repraesentat.

A visione symbolica differt a) *visio poetica seu rhetorica*, quae non est vera visio, sed mera imaginatio voluntaria vel vivida tantum descriptio. b) *Visio prophetica* directa, quae vera quidem est visio verae imaginis intellectualis revelatae, sed imaginis veritati omnino assimilatae, non autem symbolicae. In visione igitur prophetica ipsa res revelata vel ejus effigies menti prophetae obversatur. c) *Visio apparitionis externae*; e. g. regis Baltassar. (Dan. c. 5.)

Visiones symbolicae prophetis saepe contingunt, et in historia revelationis, praecipue in libris Ezechielis, Danielis et Zachariae haud raro describuntur. Jam ipsa historia creationis Mosaica (hexaëmeron) verisimiliter visio symbolica est. At certe visiones symbolicae sunt sequentes. Visiones Jacobi: scala ad coelum pertingens (Gen. 28, 12. 13.) et lucta cum angelo Domini (Gen. 32, 24—29.); somnia praepositi pincernarum, magistri pistorum et ipsius pharaonis (Gen. cc. 40. et 41.); Dominus in solio sedens et pseudopropheta ad decipiendum regem Achab missus (III. Reg. 22, 19. sqq.); virga vigilans et olla succensa Jeremie (1, 11. 13.); quatuor animalia Ezechielis (c. 1.); prunae super civitatem effusae (Ez. c. 10.); campus ossibus reviviscentibus plenus (Ez. c. 37.); somnia Nabuchodonosor regis (Dan. cc. 2. et 4.); visiones Danielis de successione regnorum sub imagine animalium (cc. 7. et 8.); visiones Zachariae; — visio Petri (Act. 10, 11. sqq.), Pauli (Act. 16, 9.), item multae visiones, si non omnes, Apocalypsis Joannis.

3. — *Actio symbolica prophetica* est opus insolitum ac mirum, quod propheta a Deo jussus efficit ad animadversionem

aequalium excitandam, et eventum aliquem futurum efficaciter annuntiandum atque symbolice praefigurandum.

Exempla actionis symbolicae.

Ahias propheta decem segmenta pallii in duodecim partes scissi Jeroboamo dat (III. Reg. 11, 30. sq.); Isaias nudus et discalceatus ambulat (c. 20.); Jeremias lumbare abscondit (c. 13.), lagunculam testaceam conterit (c. 19.), calicem furoris gentibus et regibus propinat (25, 15. sqq.), vincula et catenas in collo ponit (c. 27. 28, 10—14.); Ezechiel librum comedit (c. 2. et 3.), super latus sinistrum mox dextrum dormit, et cibo stercore condito vescitur (c. 4.), crines et barbam sibi radit (c. 5.), velata facie per parietem perfossum vespere egreditur (c. 12.), uxorem mortuam non luget (c. 24.); Osee uxorem fornicariam ducit (c. 1.); Christus super asinam sedens solemnitatem Hierosolyma invehitur (Matth. 21, 1. sqq.), fico maledicit et eam arefieri jubet. (Matth. 21, 19. Marc. 11, 13. 14. 19. sqq.) etc. Alia exempla: III. Reg. 22, 11. IV. Reg. 13, 15. sqq. Act. 21, 10. sq.

Suntne actiones symbolicae revera effectae? Nonnullae nisi in visione vel extasi evenisse non videntur, e. g. Jer. 25, 15. sqq. vel Osee 1, 2. sqq.¹ Verum plurimae non modo revera, sed etiam publice atque ostentatorie sunt effectae. E. g. Jer. 28, 1. 5. 10. sq. Ez. 12, 8—16. 24, 19. 37, 20.

Prophetae ipsi nonnunquam actiones suas symbolicas explicant; e. g. Isai. 20, 3. sqq. Jerem. 13, 9. sqq. 19, 11. sq. 27, 6. sqq. Ezech. 12, 10. sqq. Matth. 21, 21. 22. Marc. 11, 19. sqq.

§ 85.

Type notio et species.

1. — Typus est *res historica* (persona, res irrationalis, vel actio seu eventus) *prioris foederis oeconomiae salutis, personas, res vel eventus similes novi salutis ordinis ex institutione divina sensu spirituali praefigurans*. Typus est

a) *res historica* ad aliam rem historicam recentiorem repraesentandam adhibita. Ita typus est signum *et ob seipsum et ob aliud*, idest non solum ad aliud significandum exsistens, sed etiam propriam existendi rationem habens, quod a providentia divina

¹ Ceterum Osee licite uxorem fornicariam duxisset; filii autem fornicationum sunt aut filii fornicariae illegitimi, aut filii prophetae ipsius postea ex fornicaria generandi.

ad rem futuram conformatur, cuique significatio superadditur. Ergo typus et ut *finis* et ut *medium* intenditur: aut aequaliter, aut principaliter ut *medium*, secundario ut *finis*.

b) Typus ad *prius oeconomiae salutis foedus* pertinet, et foedus posterius praefigurat. Prius illud foedus est plerumque antiquum, et posterius *foedus novum testamentum*; typi autem novi testamenti in *antiquo* sunt *typi Messiani*, seu *typi sensu stricto*.

Disputatur, *sintne typi in novo testamento*. Sane novum testamentum, quum non sit praeparatorium, sed perfectum, cui nullum aliud foedus successorum sit, typos sensu stricto seu Messianos continere non potest. Alia quaestio est, num relatio typica *inter diversas ejusdem foederis aetates* intercedere possit, et quidem sive in *antiquo* sive in *novo testamento*. Res affirmanda esse videtur; et tales typi sensu latiore accepti in utroque foedere adesse possunt.

Ita etiam in *antiquo testamento* res tempore priores typice praefigurare possunt res posteriores. Meliore adhuc jure typi sensu latiore accepti in *novo testamento* statuuntur, ut infra demonstrabimus. *Vita enim Christi physica mysticae ejusdem vitae in ecclesia et membris typus creditur*; ipsaque vita ecclesiae duplex est: *terrestris et caelestis, militans et glorificata*, quarum prior relationem typicam ad secundam procul dubio habere potest.

c) Typus *duplicem habet sensum* (saltem a Deo) intentum: *grammatico-historicum et spiritualem superadditum*. Prior est sensus immediatus *ipsius rei typicae*, posterior est sensus rei significatae. Uterque autem est verus sensus.

Typus duas *habet* partes: signum et significatum. Signum est ipse typus *praefigurans*, qui apud S. Paulum typus, figura, umbra (futurorum), exemplar, allegoria, parabola vocatur.¹ Significatio typi seu res *praefigurata* est antitypon.² (I. Petr. 3, 21.) Ceterum vocabulum typi derivatur ex τύπῳ, tundo, percutio, imaginem cudo; τύπος significat formam excusam, imaginem expressam, adumbrationem, exemplar (Modell, Relief). *Αντίγνωστον* autem significat imaginem exemplaris in alia re impressam.

¹ Allegoria et parabola revera tropi sunt, seu orationes cum sensu translato sed verbali et litterali; typus autem est res vera aliam rem veram significans. Olim vero, quum vocabula artium propria nondum essent constituta, voces sensu vago et etymologico usurabantur.

² Sed Paulus Hebr. 9, 24. ipsum typum (templum) appellat antitypon.

Typus non est effigies antitypi sensibilis, sed *imago symbolica analogica*, in una alterave proprietate (nota logica) cum antitypo congruens. Aliqua tamen similitudo etiam sensibilis adesse potest, sed ad essentiam rei non pertinet. Quum typi ad providentiam divinam omnisciam et liberam pertineant, nonnisi in supernaturali salutis oeconomia inveniri possunt. Typi igitur in historia profana et in libris humanis sunt impossibles.

Per se intelligitur, typos in mundo physico esse (ut res vel facta), eosque in S. Scriptura describi tantum vel narrari, quod saepe in forma similitudinis vel comparationis fieri solet.

2. — Typus in nonnullis rebus *cum symbolo* convenit, sed multum etiam ab eo discrepat. Convenit in eo, quod utrumque est persona, res vel actio visibilis, aliquid invisibile ex institutione rationali significans. Differunt autem inter se hoc, quod a) symbolum est signum tantum ob aliud, typus et ob seipsum et ob aliud. b) Symbolum est res tum publica, tum privata, typus est res semper publica. c) Typus semper ad posteriorem oeconomiae salutis aetatem refertur, ergo semper prophetia est; symbolum autem non item. d) Symbolum sive a Deo, sive ab homine institui potest; typus semper a Deo instituitur. e) Symbolum unum habet sensum intentum, eumque realem sed grammatico-historicum; typus sensum duplicum intentum habet: grammatico-historicum et spirituale superadditum.

Typus est *vera prophetia*, quae futura non verbis, sed rebus et factis praenuntiat. Imo typus plus est quam prophetia, nempe est accommodatio praesentis ad futurum teleologica, harmonia totius historiae sacrae providentia divina constituta et supernaturalis, hysteroproteron, quod efficere et revelare nonnisi Deus, temporis atque eventuum dominus et rerum omnium moderator valet. Ipse homo res existentes vel actiones suas ad alias res vel actiones significandas adhibere potest; idque facit, quotiescumque symbolis utitur. Sed res ad futura significanda hisque similes creare ac disponere, eventus praesentes futuri contingentibus assimilare, nemo nisi Deus potest.

3. — *Typi dividuntur*

a) quod ad signum typicum attinet, in *personales, reales et activos*, prout personae, res irrationales vel actiones seu eventus res futuras praefigurant. Personae plerumque personis, res rebus significantur; saepe tamen personae res (Gal. 4, 24.) et res personas (Joan. 3, 14. 19, 36.) significant.

b) Ratione significationis idest antitypi typi sunt: *propheetico-historici* (seu *allegorici*), qui res et eventus futuros historicos,

praesertim Messiam ejusque regnum **praentuntiant**, et in Scriptura sunt frequentissimi (e. g. Joan. 3, 14. 19, 36.); **morales** (seu *tropologici*), qui mores hominum, seu **vitam Christi mysticam** in membris significant (e. g. Deut. 8, 3. **Sap.** 16, 27.); **anagogici**, qui caelestia seu nuptias agni **praefigurant** (e. g. Apoc. 21, 2.). Typi morales et anagogici in S. Scriptura rariores sunt, sed eo cerebriores in operibus Patrum.

c) Ratione sensus manifestati **typus** est *clausus*, *apertus* vel *solutus*, prout sensus est latens, aut **in ipso typo** vel extra typum manifestatus. Typi in antiquo testamento plerumque sunt clausi, qui nonnisi allegatione Novi Testamenti solvuntur, vel in luce eventuum clarescunt ac patefiunt.

§ 86.

Cognitio typi, exempla et usus.

1. — Quum res typicae etiam **ob** se exsistant et per seipsas sensum idoneum habeant, eae revera **typi** seu futurorum signa esse certo cognosci non possunt, nisi ex **revelatione**, imprimis e libris inspiratis. Similitudo quantacunque typum tantum verisimilem reddit, non certum, nisi de consilio significandi divino constet. Specialiter typi *cognoscuntur*

a) *e testimonio Christi et sacrorum auctorum*, quod infallibilem de typo praebet certitudinem.

b) *Ex traditione*, imprimis **consensu SS. Patrum**, qui si universalis est, ex traditione apostolica derivari merito censemur. Eadem fere vim auctoritatemque **habet** usus liturgicus constans.

Typos autem *verisimiles* reddunt

a) *Actio* sensu litterali *mala* in Scriptura laudata; e. g. expulsio Hagar, dolus Jacob fratrem benedictione paterna fraudantis.

b) Magnum momentum, rei per se minutae tributum; e. g. os agni paschalis non frangendum.

c) Evidens rei veteris cum *nova similitudo*.

d) *Analogia biblica*, idest explorata aliarum rerum similiūm typica significatio.

2. — Totum antiquum testamentum erat simulacrum, seu quasi umbra rejecta novi. (I. Cor. 10, 6. Coloss. 2, 17. Hebr. 8, 5. 10, 1.) Imprimis vita et opera (**regnum**) Messiae in antiquo testamento non modo vaticiniis promittebantur, sed etiam imagine

rerum et factorum ante oculos ponebantur. Christus enim est centrum et finis totius oeconomiae salutis. Hinc Antiquum Testamentum typis abundat, quorum praincipiū, etquidem ipsa S. Scriptura declarati sunt sequentes.

a) *Typi personales*: Adam (Rom. 5, 14. sqq. I. Cor. 15, 45. sqq.), Agar et Sara cum filiis (Gal. 4, 22. sqq.), Moyses (Deut. 18, 15, 18.), David (Jer. 30, 9.), Jonas (Matth. 12, 39, 40. 16, 4. Luc. 11, 30.).

b) *Typi reales*: diluvium (I. Petr. 3, 20, 21.), sacrificium Melchisedech (Ps. 109, 4. Hebr. cc. 5. et 7.), agnus paschalis et panes azymi (Joan. 1, 29, 36. 19, 36. I. Cor. 5, 7. Apoc. 13, 8.), manna (Sap. 16, 27. sq. Joan. 6, 32, 49.), petra deserti aquam fundens (I. Cor. 10, 4. sq.), serpens aeneus (Joan. 3, 14. 12, 32.), Sion et Jerusalem (Is. 60, 1. Gal. 4, 26. Hebr. 12, 22. Apoc. 21, 2.), templum Hierosolymitanum (I. Cor. 6, 19. Hebr. 9, 6. sqq.), sacrificia cruenta (Hebr. 8, 5. 9, 11. sqq. 28, 10, 1. I. Petr. 1, 19. Apoc. 13, 8.), sacrificia incruenta (Malach. 1, 11. Hebr. c. 7.), festa Judaeorum (Col. 2, 16, 17.), synagoga (ecclesiae Joan. 10, 16. Gal. 4, 22—31.).

c) *Typi activi*: exitus Israelitarum ab Aegypto (Ex. 4, 22. et Os. 11, 1. coll. Matth. 2, 15.), fata et gesta populi Israel in deserto (I. Cor. 10, 1—11.), ritus sacrificiorum (Hebr. c. 9.).

NB. Non esset contra fidem dicere, nonnullos horum typorum bibliorum a sacris auctoribus *sensu accommodato* afferri, ergo typos accommodatos esse. Sed cum traditione magis convenient hos typos veros, a providentia divina praevie intentos habere.

Praeter typos biblicos alii sunt *ex traditione certi vel saltem verisimiles*, — qui certe in institutione Christiana, et si ad traditionem dogmaticam pertinere probantur, in ipsa demonstratione dogmatum merito et utiliter adhibentur.

Tales typi qui traditione nituntur, sunt a) *Personales*: Eva B. Mariae Virginis, Abel Christi a fratribus occisi, Isaac Christi crucem humeris in montem portantis, Joseph Redemptoris a fratribus venditi, Salomo Christi regis pacifici, sponsa Canticō Canticorum celebrata B. Mariae sponsae Spiritus Sancti, Judith et Esther populum suum salvantes B. Mariae V. b) *Reales*: arbor vitae eucharistiae, arca Noe ecclesiae, rubus ardens B. Mariae immaculatae, circumcisio baptismi etc. c) *Activi*: festa et ritus antiqui testamenti festorum et rituum novi testamenti, eversio urbis et templi animae peccatis vastatae, captivitas Babylonica animae vitiis deditae etc.

Insuper in institutione practica (catechesi, concione etc.) ad finem paedagogicum et rhetoricum rationes typicas ultra typos

certos etiam in verisimiles extendere, idest *typos accommodatos seu mysticos* constituere licet.

3. — In *usu typorum* exegetico et practico meminisse juvat, typos non esse omni ex parte typos, sed tantum una alterave ratione. »Qui ex parte typi fuerunt Domini Salvatoris, inquit S. Hieronymus, non omnia, quae fecisse narrantur, in typo ejus fecisse credendi sunt. Typus enim partem indicat.« (In Os. 2, 1. 2.) Sicut in tropis (imaginibus) tertium comparationis, ita in typis *ratio typica tamquam tertium praefigurationis elementum* est.

Regulae ergo interpretationis typorum sunt: a) imprimis ratio typica quaerenda est; b) cavendum, ne typus ultra rationem typicam extendatur.

Typi eodem modo ac vaticinia *implentur*, idest simpliciter, similiter et cumulate, forte etiam typice, ut typi alterius typi.¹

§ 87.

Vaticinium typicum.

1. — Vaticinium typicum seu praedictio typi est *praenuntiatio plurium eventuum futurorum, scil. unius prioris, et cuius hic typus est, alterius remotioris, in visione optica revelatorum atque conjuncrorum*. Vaticinium typicum est sublimior quidam typus, et altissima revelatio, miracula typi et vaticinii complectens, ubi res praedicta typus est, et eventus futuri harmonice ordinantur. Vaticinium typicum per *visionem opticam* revelatur, quae est (subjective) contemplatio, vel (objective) imago intellectualis vera revelata eventus futuri prioris et alterius remotioris, quorum prior posteriorem typice praefigurat, et cum hoc in prospectu prophetico sine intervallo in unam imaginem conjugitur.

Visio ipsa in anima fit prophetarum, sed in Bibliis describitur. Revelatio futurorum prophetis plerumque per visionem, imaginibus quasi ante oculos mentis obversantibus, contingere solet. Ita etiam res et eventus futuri multum aetate inter se distantes (imo aliquando duae mundi aetates) una simul conspiciuntur, et sicut lineamenta montium amplis vallibus sejunctorum secundum scenographiae leges sic confunduntur, tamquam unius montis sint jugum. Ideo in *nexus* pro-

¹ Existentia typorum infra una cum existentia sensus spiritualis probatur.

phetico intervalla temporum mensurari, et saepo ipsi diversi eventus discerni nequeunt. Vaticinio autem impleto partes visionis opticae in luce historiae paulatim discernuntur et clarescunt.

2. — Conjunctione imaginum in visione optica et in prophetia typica est duplicitis generis: *adjunctio* et *commixtio*. In primo genere vaticinia diversa manent et eorum partes saltem praecipuae discerni possunt, sed inter se connectuntur (*vaticinia adjuncta*; nexus opticus laxior); in secundo genere vaticinia ita confunduntur, ut separari nequeant, sed partes et voces plus minusve ad utrumque vaticinum pertineant. (*Vaticinia commixta*; nexus opticus arctior.) In vaticiniis adjunctis pars prior eventum anteriorem sensu propiore significat; sed quum eventus anterior sit typus posterioris, eadem pars prior sensu remoto seu typico etiam eventum posteriorem designat. Pars vaticinii secunda ad eventum posteriorem tantum spectat. In vaticiniis commixtis omnes vel aliquae partes seu voces utrumque eventum significant, unum sensu propiore, alterum remotiore seu typico.

3. — Prophetiae typicae in utroque foedere occurunt, et circa res maximi momenti versantur.

Promissiones Abrahæ factæ proxime ad populum Israëliticum, remote ad regnum Messianum pertinent. — Apud prophetas in prospectu optico imago Messiae patientis et gloriosi confunditur. — Multa vaticinia præsertim psalmorum proxime Davidem vel alium regem theocraticum, remote Messiam spectant, cuius typi reges illi pii futuri erant. — Imago captivitatis solitæ apud prophetas conjungitur vel confunditur cum imagine liberationis e servitute peccati; vel vero imago captivitatis Babylonicae et redditus ex ea in aetatem Messianam projectetur. (E. g. Is. c. 45.)

In *Novo Testamento* exemplum egregium prophetiae typicae est vaticinium Christi de excidio urbis et de interitu mundi, Matth. c. 24. et loc. parall. (Vaticinia partim adjuncta, partim commixta.) — Nexus optico Salvator de regno Dei et de diversis suis adventibus (parusia) loqui solet. Sensu propiore per adventum regnum Dei terrestre sc. ecclesia, victoria Christi historica et divulgatio evangelii intelligitur; sensu autem remotiore ecclesia caelestis, secundus Domini adventus et ultimum judicium significatur. — In *Apocalypsi* multa proxime ad ecclesiae victoriæ de judaismo et imperio Romano ethnico partam pertinent, remotius ad omnes ecclesiae pugnas et victorias, remotissime ad pugnam adversus antichristum et ad ultimam Messiae regnique ejus victoriæ.